

# SCRIPTA

**Numéro Scripta :** 1917

**Auteur(s) :** Helia de Beaunay [chevalier]

**Bénéficiaire(s) :** Longueville-sur-Scie, Sainte-Foy (prieuré)

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1143

**Action juridique :** donation

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Donation de l'église de Sainte-Geneviève au prieuré de Longueville.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Le Cacheux Paul, *Chartes du prieuré de Longueville, de l'ordre de Cluny, au diocèse de Rouen, antérieures à 1204*, Rouen-Paris, Société de l'histoire de la Normandie, 1934, n° III, p. 4-5.

Texte établi d'après a

Notum sit posteritati fidelium quod iiiijor milites consanguinei, Helias videlicet de Belnaio et Ingelrannus frater ejus et Lanbertus Porchet et Willelmus frater ejus jure successionis, ut dicebant, quandam ecclesiam Sanctam scilicet Genovefam propriam habebant. Hanc, divina inspiratione tacti, pro salute sua presenti et futura suorumque antecessorum deo libenter reddiderunt et Sancte Fidi de Longavilla et ibidem monachis deo servientibus gratanter donaverunt atque sine ulla retentione cum omnibus que ad eam pertinent unanimiter concesserunt. Tali tamen pacto et conditione quod unus monachus et presbiter unus ibi assidue maneant atque dei servitium horis competentibus faciant et ecclesiam de omnibus necessariis diligenter procurent. Hujus autem donationis et concessionis talis causa extitit et materia. Rotbertus de Belnaio, Helie frater et Ingelranni, longa tentus infirmitate, tandem vite terminum dedit. Sed prius habitum religionis humiliter requisivit et devote accepit. Hoc publice actum est apud Longam villam die obitus ejusdem Rotberti, quando predicti milites et Hugo presbiter hujus concessionis donum pariter super altare Sancte Fidis posuerunt. Hanc itaque ecclesiam acceperunt monachi canonice de manu Hugonis Rotomagensis archiepiscopi in dedicatione capelle infirmorum super Longam villam, presentibus archidiaconis Osmundo, Gaufrido, Hugone de Frievilla et duobus abbatibus Fulcherio de Ultrisportu et Waltorio de Sancto Wandregisilo et aliis multis. Hec omnia postea recitata sunt apud Longam villam in introitu porte castelli coram Walterio Gifardo comite, hoc ipsum laudante et concedente et baronibus ejus Ingeran[no de Bel]naio et Jordano de Saccavilla, Gisleberto de Othot, [Rotb]erto de Cantulupo, Rainaldo de Carlevilla, Helia de Longolio et aliis multis. Regnante Christo Jesu domino nostro, anno ab incarnatione ejusdem M<sup>o</sup> C<sup>o</sup> XL<sup>o</sup> III<sup>o</sup>.